



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Evtychivs M. 15. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

ab hominibus sed non DEO etiam eduxit. Nec fefellit ingens animus, & spes tam generosa. Providit Numen, & alienam avaritiam paupertati iussit FRONTONIS servire. Ergo Angelus ad dormientem nescio quem divitem: tu equidem in rerum omnium affluentia jam copiam etiam fastidis, at Christus interim in servis suis cum inopia & adeo fame conflictatur. Non audit hæc Euclio, sed iterum in utramq; atriem dormivit. Ergo aures aliter vellicavit, plagasque, ut somno crederet, addidit. Tum demum quid sibi cælum vellet, penitus visus intelligere, & cibariis LXX. mulos onustos, cum nesciret ubi FRONTO ageret, sine ductore in incertum dimisit. At illi recta inde ad FRONTONEM, inde exonerati ad divitem iterum, qui miraculo motus anniversariam deinde eam liberalitatem esse voluit. *Ex vit. PP.*

S. EVTYCHIVS M. 15. *Aprilis.*

HOc die Ferentinales EVTYCHIVM Martyrem colunt, etsi ubi, aut quando animam posuerit, nesciant Annales. Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur; nam istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EVTYCHIVS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirët

alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorum curatores non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus. Ventum est Ferentinum. Hic fessus lectulum sibi adornari propter tumultum Martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumque censens à sepulchro lectum distare, quantū mors & mortis germanus frater somnus distant. Tunc quoque inter curas insomnem ferè noctem agenti EPTYCHIVS visus adstare, & quærere num vigilaret? affirmanti deinde illa verba tertium inclamare: *finis venit uniuersa carnis simul vaticinium ipse quoque finire*. Atque hæc noctis prodigia diei portenta exceperunt. Visa & audita cælo arma quasiari, & vento Aquilone duce castra ignea & ignea acies imminere. Hæc verò omnia explicarunt nō multò post Langobardi, cum è septentrione Italiae se infuderunt, sacra humanis, humana sacris miscuerunt, clademque patriæ intulerunt. Inter hos ipsos tamen armorum strepitus suaviter Redemptus obdormiuit. Obdormiuit inquam, nam parum differre mortem à somno ostēdit vivus cum mortuis dormiens. *Ex Ferrar. & Greg. Magn. Dial.*